Q. F. F. S. 7. 25

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE

CORDIS PALPITATIONE,

Quam

Auspice Archiatro Summo,

Inclyto

Medicinæ Procerum Collegio

Decernente,

In illustri Argentinensium Universitate,

PRO LICENTIA

SUMMOS HONORES ET PRIVILEGIA DOCTORALIA RITE CONSEQUENDI,

SOLENNI Examini

submittit,

JOHANNES JACOBUS FRIED,

Argentinensis.

Ad diem 4. Decembris M DCC X.

ARGENTORATI, Imprimebat JOH. GIESEN, Canc. Typ.

DEO,
PATRIÆ,
PARENTIBUS,
PATRONIS,
PRÆCEPTORIBUS
ATQUE
AMICIS.

Sacram hancce jubet esse Dissertationem
AUTHOR.

Præloquium.

CUm ſuperatis haud ita pridem Examinibus, Juſſu ac Decreto Gratioſiſſimæ Facultatis Medicæ, Diſputatio Inauguralis mihi eſſet conſcribenda; morbum tum ratione viſceris affecti, tum ſymptomatum illum ipſum concomitantium ratione, moleſtiſſimum pariter ac periculoſiſſimum, CORDIS PALPITATIONEM intelligo, eligere placuit; eamque non de nihilo: ſiquidem perſona quædam, ob ſumma eaque infinita in me collocata beneficia, omni obſervantiæ atque amoris cultu veneranda; ſæpius iterumque, proh dolor! affectu hoc, non ſine maxima præſentium commiſeratione, momento citius, corripitur. Caſu ergo

tam tristi commotus, sub Auspicio Summi Numinis materiam hancce pertractandam, omissa ulteriore verborum ambage, suscipio; cumque viribus ingenii necessariis, quibus cuncta, ad B. L. beneplacidum, ut perficiantur, carere me sciam, ea qua par est humanitate TE B. L. rogatum volo, veniam ut non deneges, si multa in re tam ardua acu non tetigisse me videas.

CAPUT I.

Ονοματολογίαν exhibens.

DE Cordis ergo Palpitatione quædam dicturus, è re erit, omnem ad æquivocationem vitandam, ut quædam ad Synonymiam æque ac ad homonymiam ſpectantia præmittam. Vocatur autem Græcis præſens hic noſter affectus πάλμος τῆς καρδίας ἀπὸ τοῦ πάλλειν ἢ πάλλεσθαι, quod ſonat, vibrare, quatere, palpitare; Latinis appellatur cordis palpitatio, ſaltatio, quibusdam formido & tremor cordis, ſed meo judicio ut inferius patebit, perperam; Germani noſtri priores imitati, nominant, das Hertz-Klopffen/ das Hertz-Pochen/ das Hertz-Zapplen/ das Hertz-Zittern.

Synonymia.

Cum

Cum vero πάλμος æque ac palpitatio varias significationes ab Authoribus Græcis atque Latinis obtinuerit, merito ratione homonymias porro notandum, πάλμον vel generalissime accipi pro motu illo, quo membrum aliquod elevatur rursusque deprimitur & subsidet, atque talis fieri amat, in membranis, musculis, cute &c. teste *Galeno libr. de tremor. & palpitatione c. 5. & l. 2. de symptomat. caus. c. 2.* Germanis dicitur motus ille, das Klopffen / das Gumpken und Zabklen der Glieder / vel pressius significare omnem arteriarum motum; attestante modo citato *Galeno lib. 1. de puls. different. c. 2.* Vel denique stricte cum additione vocis καρδίας pro nostro sumi affectu. Eadem ratione τὸ palpitare, ut alias mittam significationes, latius & improprie motum cordis naturalem & convenientem seu pulsum ipsum denotat, quo sensu locus ille *Plinii in histor. natural. libr. 28. c. 8.* palpitat certe cor & alternatim movetur, explicandus venit: Specialiter vero & proprie in Scholis Medicis sumitur pro eo cordis motu præternaturali & inconvenienti, pulsuique contradistincto; ac de quo explicando nunc sollicitus sum. *Homonymia.*

CAPUT II.

Structuram cordis, ejusdemque motum naturalem declarat.

VT ergo palpitatio cordis ejusque fiendi ratio eo magis innotescat, non abs re fore duxi, si naturalem ipsius cordis motum breviter prius indigitaverim, qui cum maxime ab admiranda ejus structura dependeat, operæ pretium erit eandem paucis delinea-

Structura Cordis.

lineare. Cor igitur capſulæ membranaceæ, Pericardium dictæ, incluſum, à duplicato mediaſtino, ac venis ut & arteriis, per omnes corporis partes radicatis, ſuſpenſum tenetur in thoracis medio, atque ſubſtantia carnoſa, denſa, & muſculari dotatum eſt, imo nil niſi muſculum eſſe artificioſe pariter ac mirifice extructum, non tantum *Münnick de re anatom. p. 101.* per elegantem fibrarum muſcularium ipſius cordis deſcriptionem perſuadet, ſed & *Chriſtianus Langius in Phyſiolog. §. 17. p. 111. & 113.* quorundam fruſtra reclamantium argumenta refutando comprobat. Subſtantia autem hæcce figuram pyramidalem ſeu potius turbinatam repræſentat, cujus ratione dividitur in baſin ſeu partem latiorem adipe obvelatam, & apicem vel conum ſeu partem ſtrictiorem, quæ in mucronem acuminatur. Eidem baſi ab utroque latere ad orificia venarum cavæ ſcilicet & pulmonalis adjacent certæ burſulæ, paſſim cordis Auriculæ dictæ, quarum dextra longe capacior ſiniſtra eſt, quo eo melius ſanguinem è vena cava irruentem coerceat; utraque tamen eandem cum corde ſubſtantiam, muſcularem ſcilicet, poſſidet, qua mediante receptum è venis ſanguinem depletis cordis ventriculis infundit. Enimvero duæ inſignes cavitates, dextra una, altera ſiniſtra cordi inſculptæ ſunt, ventriculi appellatæ, quarum hæc, illa, amplior, latior ac carnoſior exiſtit, cum ſanguis majori cum vi è cavitate ſiniſtra, quam dextra, ut propellatur, neceſſe habeat. Diſtinquuntur autem ventriculi, per intermediam partem carneam, ſeptum cordis nuncupatam, verſus dextrum ventriculum gibbam, verſus ſiniſtram vero concavam. Sed nec ſilentio prætereunda eſt, ventriculorum interna

inæ-

inæqualitas, multis cavernulis atque carneis columnis referta, quo ſanguinis elaboratio perfectior & expulſio fortior contingat; præcipue vero in ventriculo dextro partes illæ carneæ à ſepto ad parietem exteriorem inſtar trabis protenſæ notandæ veniunt, quæ dictum parietem in cordis conſtrictione verſus ſeptum adducere videntur, in dilatatione vero impedire, ne idem paries æquo longius à ſepto removeatur. Reſtat ut quædam de cordis vaſis quoque dicantur, quæ ratione uſus, quem præſtant commode in communia & propria diſpeſci poſſunt; Communia illa vocanda, quæ toti corpori, propria quæ cordi tantummodo inſerviunt; illorum quatuor duæ ſcilicet venæ, totidemque arteriæ numerantur: Venarum prima eſt Cava dicta, quæ ſanguinem è toto corpore refluum ventriculo dextro infundit, ac valvularum trium tricuſpidalium ope ejusdem regreſſum impedit; huic ordine ſuccedit arteria pulmonalis ſanguinem è cordis thalamo dextro expulſum in pulmones vehens & tribus valvulis ſemilunaribus retroceſſui obicem ponit; Sed ſiniſtro cordis ſinui vena inhæret pulmonalis, quæ ſanguini ad dictum modo cordis ſinum aditum è pulmonibus concedit, ſed ejusdem reditum per duas valvulas mitrales vocatas coercet. Ultimum denique vaſorum communium, arteria aorta ſeu magna eſt, quæ è ſiniſtro cordis antro protenſa, ſanguinem ad omnes & ſingulas corporis partes abeuntem recipit, ejusdemque regurgitantis impetum valvulis tribus ſemilunaribus ſuſtinet. Denique & vaſa cordis propria deſcribenda, ſuntque ea, arteria & vena, nervi ac vaſa lymphatica, arteria equidem ſoboles arteriæ magnæ eſt, ſanguinem cordis ſubſtantiæ pro motu

pari-

pariter ac nutritione ſubminiſtrat, vena è cava oboritur ſuperfluumque ſanguinem excipiendo, cavæ infundit, cumque baſin ipſius cordis vaſa hæcce coronæ inſtar ambiant, coronaria vocantur. Nervos, tam ipſum cor, quam ejusdem auriculæ habent à pari vago, maxime à plexu illo, qui paulo ſupra cor in thorace ſitus eſt, ac Cardiacus appellatur. Vaſa demum lymphatica numero non pauca per externam cordis ſuperficiem excurrunt, quæ ex pericardio tenuioribus ramulis prodeuntia, majores componunt ductus, ſuſceptamque lympham in venas aut ſubclavias, aut jugulares effundunt. Hiſce de ſtructura cordis præmiſſis, motus cordis naturalis addendus venit, qui duplex merito, ſyſtolen ſeu conſtrictionem, & diaſtolen vel dilatationem ipſius cordis comprehendens, ſtatuitur, nimirum ſanguis è vena cava aut pulmonali per auriculam dextram aut ſiniſtram, in illius aut hujus lateris ventriculum influens, irruente vi ac copia ſua fibras ventriculi extendit, atque diaſtolen ſeu dilatationem efficit; Aſt eædem fibræ ſpiritibus per nervos affluentibus, ut & ſanguine per arteriam coronariam eo deducto, impletæ, mox robore ſuo ſeſe contrahentes, ſanguinem in ventriculis contentum in pulmones & arteriam aortam propellunt, ſyſtolen ſeu conſtrictionem producunt. Quotiescunque autem cauſa quædam motum hunc naturalem turbat, non poteſt non fieri, quin præternaturalis ac depravatus ipſius cordis oboriatur motus, uti hoc præſens noſter affectus apprime edocet.

Motus cordis naturalis.

CA-

CAPUT III.

Motus cordis palpitatorii fiendi rationem; Differentiam à tremore; Definitionem ac partem affectam sistit.

HUjus ergo fiendi rationem declaraturus, non multum aliorum sententiis tum recensendis, tum refutandis inhærebo, sed cum unicuique philosophandi libertas jampridem restituta sit, statuo; Palpitationem cordis non aliunde quam ob denegatam sanguinis è cordis ventriculis viam contingere, nimirum tempore systoles ob impeditum effluxum, ad parietes internos fit sanguinis repercussio, cumque mucro cordis lateraque simul, mox nova superveniente systole contracta angustentur, basis cum vasorum radicibus ex sanguine ibi congesto & nonnihil hærente, ampliatur, expanditur, & intumescit cum saltu tali & elevatione ad super impositas costas: Statim ergo luce meridiana clarius radiat, memet non male supra capite primo, illos reprehendisse, qui palpitationem atque tremorem cordis pro uno eodemque affectu venditant; Siquidem tremor potius fibrarum cordis trepidatio est, qua nempe fibræ motrices celerrime, ac tantum semicontractæ, systoles ac diastoles vices ocissimas, verum abruptas & quasi diminutas efficiunt; Ut proinde sanguis per minutissimas tantum portiones, tum cordis sinubus inferri, tum ex iisdem efferri possit.

Motus palpitatorii cordis fiendi ratio.

Differentia à tremore.

Definiri itaque palpitatio cordis vel potius describi posset, per motum cordis præternaturalem, depra-

Definitio.

depravatum, inordinatum, variis ſymptomatibus ſtipatum, à denegato ſanguinis è corde effluxu dependentem.

Genus itaque ſeu rationem formalem conſiſtere dico in motu cordis præternaturali, hinc claret, hunc affectum ad ſymptomata actionis vitalis depravatæ ſpectare, adeſt namque motus præter ordinem, qui non plane tollitur, nec imminuitur, ſed tantum depravatur; & licet nonnullis per motum auctum eundem potius definire placeat, nihilo tamen ſecius & actiones auctas depravatas eſſe judico.

Pars affecta. Pars vero affecta generaliter conſiderata cor eſt, præcipue vero ejus ventriculi, non excluſis interim auriculis, pericardio aliisque cordis partibus, imo ſæpe pulmones, diaphragma, lien, uterus, aliaque viſcera primario affecta, in conſenſum demum ipſum cor rapiunt, uti id è cauſis nunc tradendis ulterius patebit.

CAPUT IV.

Cauſas internas æque ac externas enarrat.

POſſunt autem cauſæ hæcce, ad duo potiſſimum genera referri, ut ſcilicet aliæ internæ, externæ aliæ dicantur, quarum catalogo, merito Cauſa proxima præmittenda eſt, quæque in impetu ſanguinis ſeu alliſione fortiori ad ventriculum unum vel utrumque conſiſtit, atque à fluidi hujus vel repercuſſione vel renitentia à cauſis variis remotioribus introducta, dependet. Ex his ergo cauſis remotioribus, ut ab internis incipiam, primo loco ſeſe offert Plethora ſeu

Cauſa proxima.

Cauſæ Remota interna.

Plethora.

ſeu Maſſa ſanguinea quantitate excedens, dum etenim ſanguis in thalamos cardiacos copioſe & cum impetu irruit quaſi, fibras ad vehementem ſui conſtrictionem invitat, qua ſi non omnis, qui influxit, excutitur ſanguis, accedente nova ex auriculis quantitate, fibræ illico ad novas vibrationes ſe accingunt, hinc aliqua ſanguinis portione verſus baſin ac auriculas redundante, palpitatio vehemens oritur, exemplum vide ſis *in Foreſto libr. 17. obſerv. 2.* Sic & ſanguis qualitate peccans, palpitationem ut producat, aptus eſt, quo ſerum in corpore abundans ſpectat, ceu ob cujus efferveſcentiam potiſſimum luna creſcente factam, in juvene quodam nobili palpitationem cordis obſervavit *Horſtius libr. 3. obſerv. 13.* Nec non ſeri abundantia eadem, dum hydropem pectoris infert, hincque continuo fibras carneas cordis irritat, ſæpe hujus affectus cauſa exiſtit, cujus afferti illuſtre exemplum de Maximiliano II. Romanorum Imperatore præbent, *Obſervationes Practicæ de Hydrope pectoris, hiſtoriæ morborum Uratislavienſium annexæ p. 5. §. 5.* Imo hinc non immerito ſignis Hippocraticis, hydropem pectoris declarantibus, & palpitationem cordis addidit *Sebizius in ſpecul. medic. pract. part. 3. libr. 3. cap. 13. p. 892.* Eadem ratione ſerum ſeu aqua pericardii, ac par eſt copioſior, ad malum hocce producendum ſymbolum ſuum confert, contrariam licet ſententiam *Diemerbræck in anatomia libr. 2. c. 5. p. m. 373.* foveat; Notavimus præterea, inquit, majorem copiam iſtius liquoris (pericardii ſcilicet) non facere palpitationem cordis, quod tamen ex Galeni ſententia communiter tradunt Medici. Nam in omnibus iis, in quibus poſt mortem in pericardio humoris iſtius aquei majorem copiam reperi, antea

Serum efferveſcens.

Hydrops pectoris.

Hydrocardia.

cùm morbosi viverent, nullam omnino cordis palpitationem, sed contra pulsum languidum ac rariorem inveni; Neque etiam à copia istius liquoris tanta fit pericardii angustia (etsi id vulgo prædicetur) ut cor se in eo libere movere nequeat, atque hinc palpitet: Sed contra semper animadvertimus, pericardium hinc adeo laxum latumque reddi, ut cor in eo multo facilius moveri possit, quam in pauco liquore. Ita ut hujus liquoris copia palpitationem minime faciat, eademque potius excitetur à quovis liquore, etsi pauco, dummodo præter ordinem plurimum & raptim dilatare, vel acrimonia, putredine, aliave vellicante qualitate cor infestare, idque ad tam molesti hostis depulsionem excitare posset. Hæc Diemerbroek. Verum, præterquam, quod testimonia pro meo asserto militantia adsint, nempe *Amat. Lusitani cent. 3. cur. 43. Carol. Pisonis de morb. è colluv. seros. oriund. p. m. 170. Lovveri de corde c. 2. p. m. 103. & 104. Riolani art. med. f. 2. tr. 2. p. m. 122. Hildani centur. 1. observ. 43. p. 39. Tulpii observ. libr. 4. cap. 19. Raymund. Fortis consultat. cent. 2. consultat. 46. p. 181. Observationum Practicarum de hydrope pectoris supra citatarum p. m. 38.* præterquam talia, inquam, testimonia adsint, captu quoque facillimum est, qua ratione nimia aquæ in pericardio quantitas, systolen & diastolen cordis impedire queat, si vel mole sua premat, aut fermentescat, vel putrida, acris, aut alio modo corrupta evadat, quod ultimum fieri posse, exemplis *Rondeletius de dignos. morb. c. 10. p. m. 678. & Sylvius in prax. l. 1. c. 26. §. 26. p. m. 225.* confirmant. Cum ergo hæcce sententia extra controversiam posita sit, merito ad illam comprobandam memet accingo, quæ non tantum ex abundantia pericar-

Defectus aquæ pericardii.

ricardii aquæ ſed & ex ejusdem defectu, palpitationem oriri poſſe ſtatuit, ſunt equidem, qui cum *Bohnio in circul. anatom. progymn. 20. p. m. 323.* aquam pericardii nullam eſſe, ejusque ſcaturiginem à morbo aut mortis genere dependere, affirmantes, perſuaſum ſibi habent, nullam unquam palpitationem ab humoris pericardii abſentia originem trahere, verum non tantum exiſtentia aquæ pericardii Malpigii induſtria edocuit, ceu qui interiorem pericardii tunicam acinis glanduloſis vel potius apicibus arteriarum dotatam eſſe, preſſamque, multas ex his minimas guttulas (quas etiam notavit *Peyerus in Meth. hiſtor. anatom. Med. c. 6.*) ſudare, obſervavit, ſed & ex abſentia ejusdem humoris hincque facta pericardii cum toto corde accretione, inſigne præcordiorum gravamen, lipothymias, palpitationem, imo mortem contigiſſe hiſtoriis lectu dignis *Lovverus l. c. c. 2. p. m. 105. & Angelus Victorius conſult. 98. p. 417.* comprobant. Nec non Tuſſis à defluxione catarrhali dependens, ac diu præcipue durans, mali hujus ſæpius eſt author, quale palpitationis exemplum per ſex & amplius ſeptimanas cum difficultate ſpirandi affligentis, de adoleſcente ſiſtit *Piſo l. c. p. m. 169.* Idem porro malum ſæpe ſanguini bile nimis abundanti adſcribendum, utpote qui impetuoſius ad cor delatus, ſua, qua pollet acrimonia fibras carneas cordis irritando, palpitationem inducit, obſervationibus idipſum *Foreſto l. 17. obſ. 4. & Fernelio in Pathol. l. 5. c. 12.* probantibus. Ut & contraria qualitate, pituita ſcilicet, referta Maſſa ſanguinea morbum hunc ponit, quatenus fibrillis ac ſtaminibus cordis adhærens, crebiores efficit ſyſtoles, exempli loco ſit obſervatio *Foreſti l. 17. obſ. 3.* Imo ſæpe in cadaveribus

Tuſſis.

Bilis.

Pituita.

hoc morbo defunctis pituitæ glutinosæ, viscidæ & crassæ cordis thalamos obsidentis copia reperitur, *testante Claudino conf. 129.* Quo & pituitæ productum, vapores scilicet ac flatus pertinent, qui cor nimis distendentes, affectus hujus causam præbere, confirmant *Horstius decad. 5. problemat. 3. & Cæs. Benedictus conf. 53.* Symbolum porro suum, impeditus sanguinis circulus, confert, qualem palpitationem ob arctius constrictas tibias annotavit *Forestus lib. 17. obs. 1.* Calculos quoque in corde latentes sæpe malum inferre, testantur observationes authorum, *Zacut. Lusitan. prax. med. admir. l. 1. obs. 131. VVier. de præstig. dæmon. l. 4. c. 6. Hœfer. in Hercul. med. p. 89. Sennert. in prax. l. 2. part. 3. c. 3. Scholz. in consil. 103. p. 76. Bonett. in sepulchr. l 2. s. 8. obs. 15. & 16. Christian. Lang. in op. part. 3. p. m. 206. §. 20.* Nec certe vermes ipsius cordis, Germanis der Hertz-Wurm dictus, excludendus, huncce etenim inter alia symptomata, periculosas subinde conciliare palpitationes *Ettmüllerus in Colleg. pract. sect. 16. c. 1. p. m. 440. probat*, ac ex MSS. Petri à Castro practicis curiosam affert historiam; Mihi, (verba sunt Petri à Castro) contigit dirum morbi genus, in Calabria observare, sub Epidemica constitutione, in qua post ingentem ægrotantium stragem, qui omnes convulsivi cum frequentissima ac fere continua cordis palpitatione moriebantur, dissectis quibusdam cadaveribus, invenimus in singulis vermem, magnitudine fere minimum digitum æquantem, capsulæ cordis affixum. Quam cordis palpitationis causam observationibus quoque confirmant *Gabelchov. curation. & observ. Med. cent. 3. curat. 1. Schenkius l. 2. obs. 194. Severinus de natur. abscess. l. 4. c. 2. §. 3. p. 287. Horstius manud. ad Medic. part. 1. cap. 1. sect. 2. §. 3. p. m.*

Vapores & Flatus.

Impeditus sanguinis motus.

Calculi in corde.

Vermes cordis.

3. p. m. 43. Hartmann. prax. chym. p. m. 39. Polisius in Eph. N. C. an. 9. obs. 13. p. 50. Lovverus l. c. p. 107. Dolæus in Encyclop. Med. dogm. l. 2. c. 6. p. m. 185. Sennert. in prax. l. 2. part. 4. c. 4. p. 411. Nunc & sanguinis intentata, aut jam facta grumescentia malum hocce infert, quam causam allegant *VVedelius in Eph. N. C. an. 2. obs. 197. p. 298. Riverius cent. 4. obs. 21. VVillisius Pharm. ration. part. 1. sect. 6. cap. 3. pag. 144. Grembs in arbor. vit. integr. & ruinos. l. 2. c. 1. §. 8. p. 138. Bonettus in sepulchr. l. 2. sect. 8. obs. 3.* Sed nec Polypus in corde aut vasis annexis hærens, silentio prætereundus, utpote qui sæpissime funestam affert palpitationem, testantibus *Bonetto l. c. obs.* 10. *Dolæo l. c. p.* 185, *VVepfero de apoplex. p. m.* 197. *Grassio in Ephem. N. C. d.* 3. *an.* 5. *&* 6. *obs.* 101. *p.* 423. Frequentes porro palpitationes ob nervos cordis spasmodice affectos, contingunt, cum etenim sint propagines paris vagi, & par hoc non solum thoracis partibus universis, sed cunctis etiam abdominis visceribus implantetur, satis manifeste apparet, palpitationes cordis sæpissime ob truncum aut ramum paris vagi irritatum oboriri: Sic vehementissimæ palpitationis cordis ab epilepsia productæ exemplum *Schellhamerus epistol. de pulsu p. 67.* de puella novendecim annorum suppeditat, quæ quovis epilepsiæ paroxysmo palpitationem cordis patiebatur. Eandem & ob causam malo hypochondriaco laborantibus, molestum sæpe numero sese sistit symptoma, comprobante *Fernelio pathol. l.* 5. *c.* 12. *conf. Ettmüll. l. c. p.* 440. Eadem ratio alleganda venit, circa palpitationem Scorbuto supervenientem, qualia exempla vide sis apud *Sennertum de scorbut. c. 5. p. 72. & Horstium l. 4. obs. 35.* Et eodem quoque symptomate mulieres hyste-

Sanguinis grumescentia.

Polypus.

Nervi spasmodice affecti.

Epilepsia.

Malum Hypochondriacum.

Scorbutus.

Hysterica passiones & graviditas. ftericis paſſionibus obnoxiæ, nec non gravidæ, ſæpe corripiuntur, ut idipſum variis obſervationibus confirmat *Foreſtus l.* 17. *obſ.* 8. Imo quid conſenſus nervorum ad producendos morbos conferat, admiranda hiſtoria *Zacut. Luſitanus in Hiſtor. Medic. princip. l. 8. c. 8. obſ. 2.* declarat, annotando cordis palpitationem ex inflammatione teſtium, cum duritie & dolore vehementi conjunctis, obortam. Sed & huc ſummo jure referri debet, ſyſtema nervoſum debilitatum, quod certe ſæpius, aliqua cauſa irritatum, indeque ſpaſmodice motum, palpitationis cordis author eſt, & utinam nullum memoria exemplum, quo aſſertum firmius reddam, ſuppeditet, ſed, proh dolor! perſona in præloquio non ſatis laudata, nullam aliam, quam ob modo indigitatam cauſam palpitationis atrociam ſuſtinet; ſiquidem cum variæ cauſæ multos jam per annorum decurſus obvenientes, ſyſtema nervoſum ejusdem mox laudatæ perſonæ plus juſto reddiderint debilius, nunc leviſſima de cauſa, v. g. odoratu rerum fragrantium, cibis aromatibus conditis, motu vehementiore, animi pathematibus, palpitatio cordis cum ſyncope admodum vehementi ſæpius irruit, &, quod rem ulterius confirmat, ſub ipſo invaſionis tempore, ſentit auram quandam, uti loqui amat, è infima corporis regione, per dorſum ad caput aſcendentem, mox vero, cum fulminis ictu citius ad cor decidat, palpitationem producentem. Verum enim vero & earum palpitationum cordis, quæ à vitioſa tum ipſius cordis, tum partium adjacentium ſtructura aut conformatione dependent, mentio facienda; Sic inuſitatam cordis magnitudinem, palpitationem per biennium affligentem, ac morte ſubitanea finitam, induxiſſe, teſtatur *Hiſtoria morbo-*

Inflammatio teſtium.

Genus nervoſum debilitatum.

Inuſitata cordis magnitudo.

morborum qui Anno 1699. Uratislaviæ grassati sunt, p. 129. Aliam palpitationem, eamque adeo violentam, ut costæ ob cordis pulsationem extrorsum protrusæ fuerint, tumorque in sinistro pectore satis insignis inde eminuerit, observavit à vena pulmonali cartilagine ei intus adnascente fere occlusa *Mayovv. de motu musculari c. 7. p. m. 374.* Nunc frustulum nigrioris carnis, mespili formam habens, atque in sinistro cordis ventriculo supra arteriam repertum, læthalis palpitationis causa erat, in muliere quadam annotante *Foresto lib.* 17. *obs.* 1. *in Scholio*; cui observationi & illa *Zacut. Lusitani in histor. medic. princip. l. 8, c. 8. obs. 3.* addi meretur, utpote qui, in cadavere à palpitatione cordis extincto, inter magnæ arteriæ ramum, & venæ arterialis radicem, carneam excrescentiam, duram & concretam, coloris nigerrimi, atque binas fere uncias ponderantem, reperiit. Spectat & huc rarissima pariter ac admiranda *Antonii de Pozzis in Eph. N. C. an. 4. obs. 40.* historia, de viro, è palpitatione cordis, per quatuor annos continua, mortuo, ceu in cujus cadavere aperto, cor maximum quidem, sed unicam solummodo cavitatem seu ventriculum continens, & uncias sedecim sanguinis nigerrimi complectens, apparuit. Alio tempore carunculæ cor ejusque ventriculos obsidentes malum inferunt, sic *Riverius cent. 4. obs. 21.* in sinistro cordis ventriculo è palpitatione mortui, carunculas rotundas, substantiam pulmonum æmulantes, invenit, quarum major ad avellanæ molem accedens, totius arteriæ aortæ ostium præcludebat. Porro & cor exulceratum malum hocce conjunctum habet, quale exemplum *Grembs l. c. l.* 2. *c.* 1. §. 8. *p.* 138. de fœmella è thermis hydropica rediente, affert, in cujus cadave-

Vena pulmonalis cartilaginea.

Excrescentia carnea in cordis ventriculo sinistro.

Cor unico saltem ventriculo præditum.

Caruncula.

Cordis ulcus.

davere aperto omnia viſcera ſana, in corde vero ulcuſculum repertum fuit. Nec cauſa, è vaſis cordis oſſeam ſubſtantiam acceptis, dependens, omittenda, præprimis cum *VVilliſius in pharmacop. ration. part.* I. *ſect. 6. c. 3. p.* 145. in ſene quodam morbo hoc laborante, poſt mortem deprehenderit, arteriæ magnæ truncum, mox à cordis egreſſu plane oſſeum, ſeu potius ſaxeum, ejusque latera valde compreſſa, ut, rima tantum relicta, ſanguis, vix per dimidium, quo debebat torrentem, effluere potuerit. Cauſarum demum internarum agmen claudit nimia cordis ac arteriæ pulmonalis dilatatio, conſentiente *Cæſalpino in art. med. l. 6. c. 20.* qui in ſacerdote octuagenario in palpitationem ſæpius incidente, cor valde amplum & arteriam, quæ ducit in pulmonem, duplo naturali ſtatu latiorem, obſervavit.

Arteria aorta oſſea.

Dilatatio cordis ac arteriæ pulmonalis nimia.

Sex res non naturales.

Aër.

Succedunt ergo, miſſis internis, cauſæ externæ, & quidem è rebus ſex non naturalibus, aër primo accuſandus, qui frigidus & humidus, in pituitoſis, calidus & ſiccus, in ſanguineis, ille ſerum augendo & acuendo, hic ſanguinem ad grumeſcentiam diſponendo, præcipue in diſpoſitis, malum accerſere poteſt, ſic & aliis qualitatibus excedens, nec non variis miaſmatibus inquinatus, ſymbolum ſuum confert, inde metallarii auram arſenicalem, & Chymici in præparatione antimoniatorum fumum attrahentes, nonnunquam malum hocce reportant, quale inſignis palpitationis cordis exemplum, coſtis fracturam quaſi minantis, de ſemetipſo recenſet *Schulzius tract. de Tinctur. Bezoard. c. 5.* Nec cibi frigidi, flatulendi, acidi, auſteri, ſaliti excludendi, his etenim copioſe ingeſtis, & ventriculi tonus debilitatur & cruditates generantur, quibus ſanguis vitiatus, dum ad cor

Cibi.

cor defertur, malo huic velificatur. *conf. Thom. Barth. hist. anat. de lact. Thor. c. 14. p. 44.* Sic ab oleribus & leguminosis assumtis, in semetipso palpitationem observavit *Malpighius. epist. 1. ad Borell. de pulmonibus*; Imo Cinamomum summum alias in paroxysmo palpitationis præsidium, nonnunquam malum conciliat, cujus rei testimonium, de matrona nobilii à frequentiore cinamomi esu in cordis palpitationem satis contumacem incidente præter *Mœbium in institut. l. 2. part. 2. c. 4. p. m. 157. & Cummenius in Eph. N. C. an. 3. obs. 134. p. 242*; de muliere nobili hypochondriaca, affert, quæ, quoties cinamomo tum in cibo, tum in condimentis utebatur, palpitationem cordis incurrebat. Vina quoque generosa pariter ac vappescentia, & cerevisiæ recentes nondum satis defæcatæ, vel vetustæ, acescentes, idem malum efficere valent, qualem palpitationem perpetuam & continentem, commessationibus, liberaliore potu ac Venere contractam, in adolescente observavit, Medicorum facile Princeps, *Hippocrates libr. 3. Epidem. sect. 2. ægrot. 16. pag. 1117. edition. Fœsian.* Imo vinum Rhenanum (quo tamen Medicus quidam octuagenario major, nec unquam graviori infestatus morbo, ceu arcano, ad prolongandam vitam, usus est, referente sic *VValdschmidio in instit. med. ration. l. 4. c. 9. §. 7. p. m. 177.*) à melancholico nobili haustum, malum exasperasse, testatur *Forestus lib. 17. obs. 1.* Sed & motus vehementior sæpe accusandus, ceu quo, dum sanguis plus justo rarefit, motus cordis extraordinarius inducitur, uti hoc ipsum *Tulpius lib. 4. obs. 20.* exemplo palpitationis summæ ex pedestri itinere subortæ, comprobat, & *Forestus l. c.* ex intempestivo, levissimo licet viso, manus aut brachii motu, palpitationem cordis cum

Olera & Legumina.

Cinamomum.

Potus.

Vinum Rhenanum.

Motus.

lipo-

Quies. lipothymia in puerpera annotat. Quies vero, excrementa cumulando, dum ſanguinis viſciditati, lenteſcentiæ ac ſtagnationi, fores pandit, mali author eſſe poteſt. *Vigiliæ.* Similiter & de vigiliis ſentiendum immoderatis, ſpiritus enim animales inde exagitantur valde & abſumuntur, maſſaque ſanguinea ad acorem inclinat. *Somnus.* Idem & de ſomno valet, ſanguis enim, ubi nimius is fuerit, inde ſegneſcit, & humores ad lentorem atque coagulum diſponuntur, ceu rem *Foreſtus l. c.* obſervatione de palpitatione à ſomno meridiano oborta, declarat. *Excreta & retenta.* Simile judicium eſto de retentis atque excretis, enimvero ab evacuationibus ſolennibus aut omiſſis aut ſuppreſſis, palpitationem oriri poſſe, obſervationes authorum confirmant: Sic *Menſium ſuppreſſio.* palpitationes à menſibus ſuppreſſis *Rodericus à Fonſeca conſult. 24. p. 163. & Zacutus Luſitanus hiſtor. medic. princip. l. 8. c. 8. obſ. 1.* ſuppeditant. *Menſium nimius fluxus.* A nimio vero menſium profluvio, cordis non tantum, ſed omnium totius corporis arteriarum palpitationem *Heurnius de morb. partium, libro de morb. pect. c. 8. p. 158. & Foreſtus l. 17. obſ. 8. in Scholio*, obſervarunt. Pertinent huc *Venus.* Veneris ludibria, per quæ vir quidam, in talem cordis palpitationem incidit, ut niſi receptui cecinisset (verba ſunt *Dolæi in Encyclop. l. 2. c. 6. p. 187.*) ſuffocatus fuiſſet. *Animi pathemata.* Animi pathematum porro quoque mentio facienda, prælucente hac in re *Divo Coo libro de humoribus p. 49. edition. Fœſian.* *Ira.* Sic ab ira, *Gabelchoverus cent. 4. curat. 84. Timæus à Guldenklee libr. 2. caſ. med. 16. idem lib. 2. epiſt. med. 23. VValdſchmid. lib. 2. caſ. med. 16.* *Terror.* à terrore inſigni ob naufragii periculum *Riverius cent. 4. obſ. 21.* *Metus.* à metu peſtis inani, in Monacho *Foreſtus l. c. obſ. 5.* *Triſtitia.* à triſtitia idem *Foreſtus l. c. obſ. 8. in Scholio*, *Fonſeca l. 2. conſult. 41.* palpitationes cordis obor-

obortas, annotarunt. Denique & causis externis annumerari, vulnera cordi inflicta, merentur, à quibus palpitationis cordis inductæ exempla *Forestus l. c. obs. 1. & in Scholio* profert. *Vulnera cordis.*

CAPUT V.

Differentias præcipuas tradit.

SUbjiciendæ nunc etiam differentiæ cordis palpitationum veniunt; quæ cum multi variæ sint, præcipuas tantum proponendo, à gradibus incipiam, alia hinc mitissima & frequentissima est, quando scilicet subsultus tantum cordis præternaturalis, manu sub sinistra mamilla posita, cum sensu quodam tristi percipitur. Vehementior hac, illa est, quæ oculis sese sistit, dum scilicet ab assiduo cordis motu & diverberatu, indumenta, veluti flabello motitata inæqualem cordis motum æmulantur, quale exemplum *Piso de colluvie seros. p. 166.* profert; Sed & hanc superat illa, quæ auditus beneficio percipitur, quando nimirum adeo vehemens & violenta est palpitatio, ut etiam extra domum, in qua æger decumbit, à transeuntibus (potissimum si fenestræ occlusæ aures admoverint) exaudiatur, cujus asserti veritatem *Forestus lib. 17. obs. 1. & Schenkius l. 2. obs. 216.* observationibus firmant. Sed omnium summus est gradus, quando non tantum thorax ac sternum ab illo vehementi motu, è sede naturali dejecta non mediocriter extuberant, *conf. Piso loco ante citato*, sed & costæ penitus franguntur, uti exemplo Philippi Nerei hanc plane stupendam rem confirmat *Angel. Victorius in consuet. 98. p. 415.* Succedunt differentiæ ratione temporis, dum *Differentia ratione graduum.* *Differentiæ ratione temporis.*

alia per intervalla ſolum affligit, cujus exempla perſona illa in præloquio laudata, ſuggerit copioſa, utinam nulla: Alia periodica eſt, quæ ſtatis temporibus revertitur, qualis illa fuit à *Galeno libr. 5. de loc. affect. c. 2.* annotata, quæ quotannis, verno tempore invadere ſolebat. Alia denique per multos annorum decurſus moleſta eſt, quali ſupra dictus Philippus Nereus obnoxius erat, ceu qui per quinquaginta annos ea laboravit teſtante *Angel. Victorio l. c. p. 417. conf. quoque Smetius in Miſcell. medic. c. 10. p. 523.* Imo *Schenckius l. 2. obſ. 214.* de quodam ſacerdote refert, qui ſtatim à primis unguiculis perpetua, ſed quæ indies, prout ætate proficiebat, creſceret, palpitatione vexabatur. Sequuntur differentiæ à conjunctis ſeu ſymptomatibus deſumtæ: Igitur in aliis nihil conſideratu dignum, præter ſaltum cordis iſtum præternaturalem obſervare licet; In aliis tamen, inſignis virium debilitas, cordis angores atque vellicationes, capitis dolores, ſyncope, convulſiones, gibboſitas, (*conf. Dolæus in Encyclop. chirurg. l. 2. c. 7. §. 10. p. m.* 290.) imo mors ipſa, aliaque plura quæ prolixe refert *Moronius in directorio, ſub titulo cordis palpitatio,* malum inſequuntur. Denique & differentiæ ratione ſubjecti annotandæ, hinc alia palpitatio idiopathica ſeu per eſſentiam eſt, quando cauſa in ipſo corde hæret, alia ſympathica audit, ubi cauſa in alia corporis parte habitans, palpitationem infert: Nunc alia hæreditaria eſt, dum vitioſus hic character & infantibus imprimitur, quale exemplum *Sylvaticus cent. 4. & conſil. 38.* ſiſtit, an vero juxta *Mœbium in inſtitut. l. 2. part. 2. c. 4. p. m. 156.* diſpoſitionem hanc ſol in themate Natalitio à Marte læſus adaugeat, aliis majori ingenii ſubtilitate præditis diſquirendum relinquo;

Differentiæ ratione ſymptomatum.

Differentiæ ratione ſubjecti.

Reli-

Reliquas autem differentias à caufis enatas, cum tot, quot caufæ fint, enarrare, fupervacaneum effe judico.

CAPUT VI.

Signa Diagnoftica revelat.

POtius ergo ad figna affectus pariter ac caufarum cognitioni infervientia memet converto. Sic imminentem palpitationem fæpius fubita pulfus mutatio, infolita & repentina fpirandi difficultas, fumma præcordiorum anxietas, præcedunt; nec non quandoque auram quandam ex inferioribus ad cordis regiam afcendentem ipfi ægri fentiunt; Verum & per fæpe (ut mihi pluries obfervare licuit) paroxyfmus momento citius, nullo præeunte indicio, illum ipfum minante fimul ac femel invadit. Aft affectus, qui jam præfens eft, fignis quibus dignofcatur, vix opus habet, cum omnes non tantum ægroti, illum patientes, fi modo femel ordinarium cordis motum obfervaverint, morbum affligentem indicent, fed & ipfe tactus, manum finiftræ admovendo mamillæ, imo non raro auditus atque vifus, pro diverfitate vehementiæ palpitationem manifeftant. Verum & figna, utrum tam gravis mali caufa in corde, an alio in loco hæreat, exponere, operæ pretium erit; fic fi cor ἰδιοπαθικῶς laborat, affectus, violenta fyftole atque diaftole, vehementi eaque fortiore thoracis elevatione æque ac depreffione, pulfus inæqualitate, fæpe lipothymia, aliisque fymptomatibus urgentibus, ftipatus erit. Sin συμπαθικῶς cor laborat, fubfultorius ille motus tanta vehementia atque temporis diuturnitate ægroto non moleftus erit, ejusque figna è caufis vel præ-

Signa imminentis palpitationis.

Signa præfentis.

Signa cordis per effentiam affecti.

Signa cordis per confenfum laborantis.

prægreſſis, vel adhuc præſentibus optime depromuntur; Sic ſi à plethora dependet morbus, aderunt faciei rubedo, pulſus vehemens ac magnus, reſpiratio concitatior, nec non intumeſcentia vaſorum cum aliquali retinentia. Sin bilis in cauſa eſt, pulſus magni, veloces, frequentes, ſitis, linguæ ariditas, vigiliæ, capitis dolores conjuncta erunt. Seri vero prædominantis, hincque obortæ palpitationis ſigna potiſſima ſunt, pulſus tardior, rarior, frigoris quædam ſenſatio, ſomnolentia, & ſitis abſentia. Pituitam peccantem, faciei pallor, pulſus minor, tardior, paroxyſmus non equidem admodum validus & enormis, ſed protractior, atque caloris defectus declarant. Quod ſi à flatibus orta fuerit palpitatio, repentinam æger patietur acceſſionem, leviorem & breviorem paroxyſmum & quiete interpolatum, reſpirationem difficilem, tremorem aliquando in genubus, oculorum tenebras, aurium tinnitus, ſibilos, ſtrepitus, ſuſurra, atque borborygmos. Hydrocardiam præſentem ſuſpicari licet, ſi pulſus eſt undoſus, mollis, formicans, ſi pectus ab inſpiratione diſtentum in expiratione non ex toto ſubſidet, ſed ob renitentiam cauſæ intus hærentis ſuſpenſum maneat, & una difficultas reſpirandi cum ſuffocationis metu conjuncta ſit, præcipuum vero ſignum eſt, ſi ægroti cor in aqua veluti natare ſentiunt. Signa vero defectus aquæ pericardii conjecturalia ſunt, pulſus parvus & ſemper intermittens, dolor cum inſigni gravamine præcordiorum continuo infeſtans, crebræ lipothymiæ, & à levi quovis motu, anhelationes, ſpirituum deliquia, & extremorum infrigidatio. In ſanguinis grumeſcentiam & polypum cordis cadit ſuſpicio, ſi malum à mox prægreſſo terrore, metu, acidis

Signa ſi à plethora.

Signa ſi à bile.

Signa ſi à ſero.

Signa ſi à pituita.

Signa ſi à flatibus.

Signa ſi ab Hydrocardia.

Signa ſi à defectu aquæ pericardii.

Signa ſi à ſanguine congrumato aut polypo.

dis assumptis, frigore intenso, subito nascatur, & coloris in facie immutatio, paroxysmi vehementia & pertinacia, levi de causa noviter sæpe infestans, pulsus intermittens, ac multivaria ejusdem inæqualitas, anxietates præcordiorum ac lipothymiæ conjunctæ sint. Calculos cordi inesse suspicari licet, si à quolibet cordis motu palpitatorio ægrotans dolorem plus minus exquisitum persentiscat, & lento quasi pede absque manifesta causa contabescat. Vermes si in causa sunt, patiuntur ægri tantam sensationis molestiam, ac si cor candentibus forcipibus vellicaretur, paroxysmus absque manifesta causa cum rosionibus atque doloribus cordis insignibus recurrit, imminent lipothymiæ, imo nonnunquam convulsiones epilepticæ superveniunt, facies pallet, ægri inquieti sunt pulsus intermittens ac intercurrens est. Sin genus nervosum debilitatum ansam malo præbet, auram quandam ex inferioribus corporis partibus caput petentem, ægroti sentiunt, quæ momento citius ad cor delabens ex improviso paroxysmum introducit, ac plerumque syncopen comitem habet. Signa vero palpitationis à morbis. v. g. malo hypochondriaco, scorbuto, epilepsia, mensium suppressione & nimio fluxu &c. ortæ; his modo traditis apponere mearum non partium, cum de palpitatione cordis, non de modo recensitis morbis quædam in chartam conjicere animus erat, cui & accedit, quod Practicorum nullus non eorundem signa prolixe describat. Saltem ergo signa vitiosam cordis conformationem declarantia, ut tradantur, restat, sed ut verum fatear, exacta, vera ac pathognomonica, mortem repentinam si excipias, vix dantur, cujus rei ratio, si ita augurari licet, à minus libere concessa mor-

Signa si à calculis.

Signa si à vermibus.

Signa à genere nervoso debilitato.

tuorum ſectione, ceu ut plurimum crudeli viſa, dependet.

CAPUT VII.

Prognoſtica Signa exponit.

REcto nunc tramite ad prognoſin, mortis aut ſalutis indicia ſuppeditantem, deſcendo, & cum cor, viſcus illud, ob actiones quas edit præclaras, nobiliſſimum pariter ac ad vitam ſumme neceſſarium, affligatur, evidens eſt, nullam cordis palpitationem periculo vacare, ſiquidem radiis ſolaribus orbatus noſter microcoſmus, neceſſario eclipſin patitur, aſt non ſemper mortiferam, etenim per ſe & ſua natura, morbus hic non læthalis eſt, quin ſæpius annum quinquageſimum, ceu terminum à *Galeno l. 5. de loc. aff. c. 2.* indictum excedit, edocente id experientia, ſic Imperator Romanorum Maximilianus II. ſæpius licet hoc affectu correptus, nihilominus ad ſeptuaginta annos vixit, imo Philippus Nereus (de quo ſupra mentio facta) octuageſimum annum attigit, teſtante *Angel. Victor. conſult. 98. p. 417.* Quum vero malum hocce non unum eundemque ſervet gradum, etiam prognoſis tum ſubjecti tum cauſarum, tum ſymptomatum ratione variat; hinc cum aſſertum illud, quæ per conſenſum exoriuntur ſymptomata, iis, quæ per eſſentiam fiunt, minus periculoſa ſunt, æternæ in Scholis Medicis ſit veritatis, nullus dubito, palpitationem corde ἰδιοπαθικῶς laborante, periculoſiorem eſſe illa, in qua cor ſaltem συμπαθικῶς afficitur, præprimis cum ſemper gravioribus ſit ſtipata ſymptomatibus. Sic & ratione cauſarum, prognoſis, non una eademque eſt; Eam etenim palpitationem, v. g. à plethora,

Prognoſis ratione partis affectæ.

Prognoſis ratione cauſarum.

ra, bile, ſero, pituita, tuſſi, flatibus, genere nervoſo debilitato, enatam, facilius eſſe curatu, illa, quæ à morbis prægreſſis vel adhuc præſentibus, aut à calculis, vermibus, polypo, item à vitioſa cordis conformatione originem trahit, quis dubitat? Porro quoque ratione ſymptomatum, diverſa formanda venit prognoſis, equidem illa, quæ ſyncopen, atrophiam, aut epilepſiam conjunctam habet, ſi non lethalis certe periculoſiſſima eſt; licet & illud de ſyncope ſuperveniente notandum ſit, eam non ſemper mortis periculum inferre, uti id ipſum, exemplum perſonæ multoties jam laudatæ comprobat, etiamſi enim in quovis paroxyſmo & ſyncopen patiatur, attamen cum nullum aliud ſymptoma malum comitetur, intrepide ſpero (DEus ſpem impleat) mortem præmaturam non ſubſequuturam. Aſt illa palpitatio non modo ſæpius recurrens, ſed & diu durans, certe ruinam corpori minatur. Denique nec ſigna ſalutis atque mortis omittenda, ſic palpitatio ad ſalutem tendit, ſi cauſæ medicamentis poſſunt tolli, ac iisdem uſurpatis, ægrotus levamen ſentiat; Sin vero & exquiſitiſſimis cordialibus exhibitis malum ne quidem alleviatur, aut repentina aut lenta morte extinguuntur.

Prognoſis ratione ſymptomatum.

Prognoſis ratione eventus.

CAPUT VIII.

Methodum cordis palpitationis medendi ſubminiſtrat.

IIs ergo, quæ ad affectus hujus pathologiam & Semioticam pertinent, explicatis, Therapeia nunc evolvenda reſtat. Cum autem cauſa proxima, alli-

ſio nimirum illa fortior ſanguinis ad cordis parietes removeri non poſſit, niſi ſublatis cauſis occaſionalibus, neceſſe erit, ut pro varietate cauſarum, diverſa quoque methodus medendi tradatur. Inter cauſas ergo primum locum occupat plethora, quæ ſola venæ ſectione largiter celebrata optime tollitur, neque inde gravior virium proſtratio metuenda, cum potius præſentes imbecillitates, imo palpitationis paroxyſmum momento quaſi tollat, uti eandem hoc nomine commendant *Galen. l. 5. de loc. aff. c. 2. Avicenn. l. 3. fen. XI. tract 2. c. 3. p. m. 669. Smetius ſuomet exemplo in Miſcell. l. 10. p. 567. Zacut. Luſitan. Hiſtor. princip. l. 2. hiſt. 39. in paraphr. p. 392. Imo Dolæus in Encyclop. l. 2. c. 6.* ſi ſanguis ſubtilior atque ſerum volatile abundaverit, maximum commodum ſeſe ex arteriotomia vidiſſe, ſcribit, hanc tamen neceſſariam addit cautelam, ut peritus arteriotomus, atque liquor ſtypticus Anglicus ad manus ſit. Quod ſi tamen quis venæſectionem penitus abhorreat, qualia ſæpius occurrunt ſubjecta, cucurbitulæ ſcarificatæ ſubſtitui poſſunt, quarum præſidio æger è palpitatione fere mortuus, revixit, apud *Zacut. Luſitan. prax. admirand. l. 1. obſ. 133. p. 157.* idem *in hiſt. princip. l. 2. hiſt. 39. obſ. 9. p. 393.* palpitationis, per octo hirudines applicatas, curatæ exemplum profert.

Cura ſi à plethora.

Cura ſi ab hydrope pectoris & hydrocardia.

Succedit palpitatio hydropem pectoris atque pericardii concomitans, quæ cum ſymptoma ſit, ſpecialem non requirit curam, ſed morbo ſublato ſponte ceſſat, interim ſi urgeat, analepticis æger refocillandus venit, quorum præcipua ſunt, ambr. ejusque eſſent. moſch. cinamom. aqua hinc cum vel ſine vino deſtillata, ut & oleum, meliſſ. ejusque ſpiritus per fermentationem paratus, eſſentia, imo primo ejus

enti

enti vim corpori inducendi juvenefcentiam adfcribit *Febur traité de la Chymie c. 9. tom. 1. fub titulo, de la vertu & de l'ufage du premier étre des plantes p. m. 289. & feqq.* caryophyll. cortic. citr. aurant. rofmar. croc. camphor. caftor. imo pleraque aromatica atque nervina; è quibus variæ formulæ, tum interne tum externe ufurpandæ, concinnari poffunt, quæ tamen huc apponere nimis prolixum foret, unde quoque illud faltem remedium à *Foresto lib. 17. obf. 1.* pro arcano habitum annectere volui: à meliffa viride, inquit, ac borragine, contritis aqua rofacea & aceto irroratis & cordis regione applicatis miraculi feu incantamenti inftar illico omnis cordis palpitatio ceffabat. Sed & nunc palpitationis à defectu aquæ pericardii medela tradenda effet, verum uti raro contingit, & nonnifi fignis conjecturalibus innotefcit, ita & plane incurabilis eft. Melius vero judicium de palpitatione ab epilepfia v. g. & hyftericis paffionibus dependente ferendum, cum etenim à fpafmis nervorum oriatur, minori cum difficultate, nifi malum altas jam egerit radices, legitime ufurpatis antifpafmodicis, cedit, qualia funt pulv. epileptic. Marchion. fpecific. cephalic. Mich. effentia caftor. fuccin. liquor. corn. cerv. fuccinat. ungul. alcis. dens hippopotam. unicorn. foffil. & verum, cinnabar. antim. aliaque plura, quibus fi opiata in refracta dofi addideris, v. g. Theriac. cœleft. Mithrid. effent. & extract. opii, laud. liquid. Syd. egregia adverfus fpafmos habebis remedia. Imo nonnunquam fola Theriaca cœleftis fufficiens eft, ad malum hocce debellandum, uti id *Dolæus in Encyclop. l. 2. c. 6. p. m. 191.* exemplo confirmat: Sic quoque, cum de effentia caftorei mentio facta fit, huc referri meretur, remedium à *Ro-*

Cura fi ab Epilepfia & hyftericis paßionibus.

ſin. Lentilio in Miſcell. medic. pract. part. 3. p. 171. contra palpitationem ab utero oriundam, laudatum, quodque in eo conſiſtit, ut in vehiculo aquæ Zedoariæ atque cinamomi aſſumantur Tinctur. caſtor. cum ſpir. ſal. ammon. extractæ guttulæ decem aut duodecim. Sin vero palpitatio, ſanguini exæſtuanti originem debet, præmiſſa venæſectione, ceu qua paroxyſmus mitigatur, ad blanda acida confugiendum, cum hæc optime ſulphur quam maxime obtundant, & ſal volatile peregrinum rarefaciens figant, ſicque ebullitiones illas ſanguinis nimias compeſcant, quo nomine laudari merentur, acetum ſimpl. & bezoardic. ſuccus citr. granator. aurantior. tinctur. roſar. violar. florum quatuor cordialium, ſyrup. acetoſitat. citr. clyſſus antimon. ſic & ſpir. ſal. dulcis egregius eſt in nimia ſanguinis rarefactione; quorſum & ſpectant emulſiones è ſeminibus quatuor frigidis paratæ, quatenus ſerum reſtaurando, æſtum ſanguinis contemperant. E contrario ſi ſanguis congrumatus aut polypus in culpa ſunt, reſolventia uſurpanda, & quidem non tantum Terrea illa, oculi ſcilicet cancror. corall. conch. mater perlar. margar. corn. cerv. uſtum, os de cord. cerv. lapis bezoar uterque, fragmenta quinque lapid. pretioſor. cryſtall. montan. quæ omnia acidum abſorbendo vim ſuam exerunt, ſed & martialia v. g. limatur. chalybis, crocus mart. aperitiv. bezoardic. martiale, proſunt, quatenus acidum præternaturale corrigendo, abeunt in ſalſa, ſicque virtutem incidendi & reſolvendi egregiam acquirunt; Quibus & optimo jure addi merentur volatilia, quorum præcipua ſunt Sal volatil. ſuccin. viperar. corn. cerv. ſpirit. corn. cerv. ſimplex & ſuccinat. Sal volatil. oleoſum Sylvii, mixtur. ſimpl. tinctur. bezoardic. ſpirit. theriacalis camphorat. quæ omnia certe inſignem, præprimis ſi malum à ſubitaneo terrore, aut nimia refrigeratione oritur, effectum edunt. Nec non ſi ſuſpicio in polypum ceciderit, cum in extremis morbis extrema remedia ſint exquiſite optima, tendandum, an uſus mercurii dulcis continuatus, valeat materiam hanc rurſus reſolvere. Eadem mox recenſita remedia contra ſanguinis congrumationem proficua, cum incidendi vi prædita ſint, in palpitatione à ſanguine pituitoſo & viſcido exhiberi poſſunt; non omiſſis interim pur-

Cura à ſanguinis æſtu.

Cura à ſanguine congrumato & polypo.

Cura à pituita.

gan-

gantibus ſerum fluxile reddentibus, è quibus eminent, agaric. jalapp. ſpecific. jalapp. mechoacann. dagryd. extract. panchymagog. Cr. trochiſc. alhand. & qui primo loco ponendus fuiſſet mercurius dulcis; quo autem purgantia hæcce vim ſuam meliori cum ſucceſſu exerant, vulgo dicta præparantia atque digeſtiva præmitti poſſunt, ceu ſunt cremor. & cryſtall. Tartar. Tartar. Vitriol. arcan. duplicat. M. Sal abſynth. card. benedict. atque ſimilia, & purgato ſic corpore decocta lignorum, rite parata ut acrimoniam poſſideant, conveniunt. Nec non ſi malum ab affectione hypochondriaca aut ſcorbuto dependet, præter mox recenſita remedia, juſcula herbacea, è ſcord. chærefol. cochlear. naſturt. beccabung. aliisque parata, ut & acidulæ optimum erunt ſolatium, & quidem acidulas, quod attinet, apponi hic verba *Dolæi in Encyclop. Med. Dogm. l. 2. c. 6. p. m.* 191. merentur, nihil, inquit, excellentius, nihil validius & utilius reperi, quam acidulas Svvalbacenſes, Martiales, & Embſenſes, calide hauſtas, quæ omnem implent paginam, ad quas ægros ſuos mittere poſſunt Medici conſcientioſi. Sed pergo ad flatus, qui ſi palpitationem inferunt, aromaticis atque carminativis eliminandi veniunt; cujus generis ſunt radices angelic. Zedoar. dictamn. cretic. acor. helen. galang. herbæ meliſs. roſmarin. card. benedict. menth. criſp. lavendul. rut. majoran. flores chamomill. roman. ſummitates aneth. cortices citr. aurant. cinamom. nux moſcat. macis, caryoph. croc. cardamom. cubeb. ſemina aniſ. fœnic. carv. cumin. coriandr. pp. item eſſ. carminativ. W. ſpir. ſal. ammon. aniſ. aliaque. Vermis vero in corde habitantis curam *ex MSS. Petri à Caſtro pract. Ettmüll. in Coll. Pr. ſect. XVI. c. 1. p.* 440. affert. Non valuerunt, inquit Petrus à Caſtro, præſtantiſſima alexipharmaca vermem occidere, non Bezoar Orientalis, nec Theriaca, nec confectio alkermes, nec ſcorzonera, aut alia, itemque nec allium, à quo tamen magis, quam ab aliis omnibus angebatur & lædi videbatur. Solus ſuccus ſcabioſæ mox vermem occidit; unde hac experientia obſervata, ſcabioſa in poſterum uti juſſimus languentes, tam in juſculis excocta, quam in decoctis & ſyrupis & ex ea fabricatis. Tandem nulla auxilia ægrotantibus apponebantur absque hoc ſpecifico alexipharmaco, & certe mirum fuit, ab eo tempore nec ullum ægrotantem periiſſe. Itaque non cordialibus hic

Cura à malo hypochondriaco & ſcorbuto.

Cura à flatibus.

Cura à Verme.

hic affectus curari potuit, sed succo allii, scabiosæ, & aqua scabiosæ, in qua agitatus fuit per aliquot horas Mercurius crudus: item Mercurius dulcis ad gr. IX. exhibitus cum bolo ex conserva florum scabiosæ magnopere profuit. Eodem in casu *Gabelchoverus cent. 3. curat. 1.* succum nasturtii aquatici atque allii expressum, & postea cum brodio, in quo raphanus sylvestris maceratus fuerit, assumptum laudat. Nec non pro eodem scopo *Lovveri l. c. c. 2. p. 107.* cataplasma, è foliis cinaræ, tanaceti & absynthii vulgaris, aceto vini albi acerrimo incoctis & cum pauco mithridatio mixtis, paratum ac regioni cordis applicatum inservit. Demum & mala cordis conformatio, hincque producta cordis palpitatio curanda esset, verum cum de ea viventibus adhuc ægrotis ne quidem per insomnium cogitare possimus, facile apparet, artem Medicam pro eadem tollenda, penitus insufficientem esse. Sed videor prætermisisse illius palpitationis cordis Therapeiam, cui persona illa in præloquio laudata sæpius obnoxia est; Ast neutiquam ex incuria, sed consulto id factum est, nam cum ab omnibus & singulis abhorreat medicamentis, iisque nisi in summo necessitatis casu constituta utatur, propria luce radiat, nullum è fonte pharmaceutico in auxilium vocari posse remedium, salus ergo in sola venæ sectione in pede administrata, ceu quæ paroxysmi recidivam hactenus inhibuit, quærenda & in posterum erit. Faxit ergo DEus T. O. M. ut hocce remedio adjuvante multos adhuc per annorum decursus integerrima corporis valetudine vivat atq; floreat. Esset quidem diæta cuilibet curationi appropriata annectenda, verum cum illa per se, observatis modo causis innotescat, non sine consilio illam omisi.

Et hæcce B. L. sunt, quæ in præsens pro facultate ingenii exigua, de Materia hacce disserere potui, sin vero quædam addenda omissa, omittenda vero addita videris, id partim prolixitati, partim difficultati materiæ, ut imputes, mihique porro faveas rogo. Sanctissimæ interim Trinitati, cujus favorabili nutu & ductu hæc conscribere licuit, pro præstito auxilio, in sempiterna laude nunquam debet esse.

F I N I S.